

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Ad Orationes Qvibus Postremvm Vale D. XXVII. Martii
Lyceo Nostro Dicent Qvatvor Eivs Alvmni Et Ad
Lvstrationem Pvblicam D. III. April. Institvendem ...
Illustrantur loc quaedem Iesaiae ex profanis ...**

Manso, Johann Sigmund

Oldenburgi, MDCCLXXXVI.


[urn:nbn:de:gbv:45:1-704506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-704506)

AD
ORATIONES
QVIBVS POSTREMVM VALE
D. XXVII. MARTII LYCEO NOSTRO DICENT
QVATVOR EIVS ALVMNI
ET AD
LVSTRATIONEM PVBLICAM
D. III. APRIL. INSTITVENDAM
OMNES
QVI OPTIMAS LITTERAS TVENTVR
FOVENT ET AMANT
DEMISSE OBSERVANTER HVMANE
INVITAT
IO. SIGISMVNDVS MANSO
PHILOS. DOCT. ET LYCEI OLDENBVRG. RECTOR.

Illustrantur loca quaedam Iesaiac
ex profanis auctoribus.

OLDENBVRGI PRELO IO. HENRICI THIELE,
CICCCCLXXXVI.







Inter caetera argumenta, quibus iunioribus persuadeo, ut acriori, quam fieri vulgo solet, studio ad humaniores litteras incumbant et maiorem optimorum auctorum, quos Graecia et Latium peperit, familiaritatem consequantur, eo quoque uter, quod auctores classici, quos vocant, in ipsis pandectis sacris illustrandis insignem usum praestant. Saepius enim divinas dum rimor litteras, earumque varias quae exstant expositiones, eas in primis, quae ante nostram aetatem scriptae in lucem olim prodierunt, inuestigo, mihi deprehendere videor, plurimos interpretes, vel ex ignorantia, vel ex neglectu humaniorum litterarum, a vero scripturae sensu aberrare et in falsas delabi interpretationes. Eadem haec siue ignorantia, siue neglectio secundo quasi partu sensum edidit mysticum, qui haud raro absurdus nominari meretur. Obliti scilicet, maxime sublime poeseos antiquae genus conspicuum esse in vaticiniis, quum eiusmodi frequenter offenderent descriptiones, quae proprie nullo modo poterant intelligi, mysticum siue spiritualem excogitarunt sensum, parum solliciti de tertio, translato nempe, qui poetis quasi proprius est. Huius generis esse puto ieiunas illas explicationes magnificarum descriptionum, quas Iesaias de felicitate orbis terrarum sub regno Messiae reliquit, quibus in praesenti ex profanis scriptoribus, Virgilio in primis, aliquantum lucis adferre mihi in animo est. Vtrumque poetam, sacrum et profanum, colores ad perficiendas picturas suas a fabulosa aurei saeculi adumbratione mutuo sumsisse, adeoque alterum ex altero commode illustrari posse arbitror.



Omnibus satis nota est Romanorum de aurea aetate fabula, quare actum agerem, si multis eam exponerem. Saturnum nouimus regno deiectum in Italiam ad Ianum regem sese recepisse; a quo in societatem imperii vocatus populos illos agrestes et palantes belluinum in morem ad humaniorem ciuilemque cultum reuocasse fertur. Tum aetas aurea initium coepit, qua terra, nulla cultura laceffita, nullo subacta vomere, spontaneos profudisse dicitur fruges; omnia fuisse communia, nullae lites, nullae contentiones exstitisse putantur, rebus omnibus ad cuiusuis voluntatem fluentibus. His coloribus latini poetae saeculum aureum pingunt. Ne autem arbitremur, Romanos esse fabulae istius inuentores, quippe quam Roma multo antiquiorem esse certo scimus. Verisimile est, illam cum multis aliis fabulis ab Aegyptiis ad caeteras nationes esse profectam. Equi conantes, quibus Iupiter per caelum vehitur; felices insulae, †) in quibus horti siti sunt, siue sedes beatae, campi, quos largior aether lumine vestit purpureo ††) et vbi aeterni regnant zephyri; solis occidentis introitus in cubiculum, haec aliaque plura latinis et graecis communia sunt eum poetis hebraeis et arabicis, quae (quod de aliis quidem certum, probabile de aliis est) communem suam ex Aegypto repetunt originem. Huc refero etiam fabulam de aurei saeculi felicitate; quare haud miror, illam et in Iesaias deprehendi et in Virgilio. Diuinus scilicet vates ea vtitur ad summam temporum felicitatem sub Messiae imperio delineandam. Saepius quidem de Christi regno agit; quatuor tamen potissimum locis colores ad illud depingendum ab aureo mutuatus est saeculo, quae sigillatim considerare iuuabit.

Primus autem locus habetur Cap. II, 4 vbi *iudicem aget inter gentes*, inquit Iesaias, *et populos arguet multos; et tudent gladios suos in vomeres et hastas suas in falces; non attollet gens altera in alteram gladium neque discent amplius bellum.* In explicando hoc vaticinio interpretes mirum in modum variant. Alii illud nondum esse impletum contendunt, quum funestissima hoc etiam saeculo terram exagitarunt bella; quare

†) Hor. Ep. XVI. 42 — 54.

††) Virg. Aen. VI. 639. sq.

quare in regno, quod millenarium vocant, euentura demum esse existimant, quae hic praedicuntur. Sed loquitur propheta de re, quae nato Messia statim initium capere debebat. Sunt alii, qui hunc locum recte de toto noui foederis tempore exponunt, omnia tamen accipiunt spiritualiter, pacem scilicet fore contententes inter vera ecclesiae inuisibilis, vt loquuntur, membra. Sed Iesaias de integris gentibus loquitur; vbinam autem deprehenditur populus, qui non nisi ex veris Dei et virtutis cultoribus constet? Quum amici Dei nullo non tempore pacem inter se coluerunt, id praerogatiuis temporum Messiae non potest adnumerari.

Transeant igitur distortae hae interpretationes et recordemur, diuinum vatem stilo vti poetico. Sententia eius, verbis propriis expressa, huc fere redit: *Sub Messia tempus erit felicissimum, ita quidem, vt ipse eius felicitatem verbis propriis et vsitatis exprimere non possim, sed vt quae de antiquo, de aureo tempore commemorantur, ad eam accommodare necesse habeam.* Gentes igitur legibus Messiae morem gerentes futuras esse dicit propheta magis magisque mansuetas et pacificas. Quod ipso facto etiam euenit. Deposuerunt nationes antiquam ferocitatem, immo crudelitatem; bella profecto nostra aetate non eadem, qua olim, immanitate geruntur; gentes in gentes non ea, quae obtinuit quondam, saeuunt atrocitate; vrbes et regiones non illo, qui antiquitus inualuit, more vastantur atque desolantur.

Virgilium in quarta ecloga adumbrationi felicissimi temporis sub regno pueri mox nascituri aureae aetatis colores inducere, certum est; quamquam nondum constet inter eruditos, quis intelligendus puer sit, siue Salonius, Pollionis filius, quod iam arridebat quidem Seruio, minimam tamen veritatis speciem habere videtur; siue filius Scriboniae, Augusti vxoris, partui tum vicinae, quum haec ecloga scriberetur, quod b. Gesnero placebat; siue, quod vult Heynius, acutissimus Virgilii interpres, filius Octauiae, Octauiani sororis, quae ex priori marito Marcello grauida, Antonio in matrimonium tradebatur, vt pignus esset pacis inter Octauium et Antonium Brundisii compositae. Nam quod iam Lactantius et plures post eum





docti viri demonstrare conati sunt, vaticinationem Sibyllae de Christi natalibus expressam, esse a Virgilio, id nulli amplius emunctae naris interpreti probabitur. Publius autem de pace, qua terra sit fruitura regnante puero vel a Scribonia vel ab Octavia nascituro canit s. m. *)

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet, Diisque videbit
Permistas heroas et ipse videbitur illis
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

Per *sceleris vestigia* reliquiae civilis belli intelligendae videntur post pacem aut cum Sexto Pompeio, si Scriboniae filium, aut cum Antonio, si Octaviae puerum intelligas, factam. Haec igitur sceleris vestigia *irrita i. e. abolita soluent* s. liberabunt terras perpetua formidine, ita, vt nemo timeat ea aliquando reditura. Ipse autem puer Deorum vitam accipiet; nam in aurea aetate vt Dii viuere censebantur homines, securo animo praediti, absque laboribus et aerumna; neque molesta aderat senectus. **) Nasciturus tandem puer Diis videbit permistos heroas et ipse videbitur illis; (nam hoc quoque erat inter aureae aetatis bona, vt Dii praesentes in terris inuiserent homines) et pacatum denique reget orbem, perpetuamque illi praestabit pacem. Id enim in primis et maximis aurei saeculi bonis numeratur. Ita noster alibi, †) quum de Saturni regno loquitur:

Aurea quae perhibent illo sub rege fuere
Saecula. Sic placida populos in pace regebat.

Et idem alio loco ††) nondum fuisse illis temporibus bella dicit ac ne arma quidem bellica

Nec dum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.

Nondum audierant homines inflari classica, signa bellica, vt tubas, lituos, cornua, buccinas i. e. nondum erant bella, felix fuit Saturni saecu-

*) Ecl. III. 13 — 17. **) Hesiod. op. et dies 112 sqq.

†) Aen. VIII. 324 sq. ††) Georg. II. 539 sq.



saeculum perpetua qua floruit pace; ignorabant homines cornua et buccinas, quae militem ad praelium concitarent; ignorabant enses, qui hostem ferirent. Idem legitur apud Ovidium †)

Non tuba directi, non aeris cornua flexi,
Non galea, non ensis erat, sine militis usu
Mollia securae peragebant otia gentes.

Qui aureum verbis depingunt saeculum, non homines modo, sed tetras etiam et immanes bestias multo mansuetiores describunt; lupi, ursi et leones, antiqua deposita feritate et crudelitate, inter greges cubare, serpentes non amplius pungendo nocere et herbae, venenatae quondam, amisso veneno hominum visibus inseruire putantur. Iesaias hac de re loquitur s. m. Cap. XI, 6 — 9. *morabitur lupus cum agno, et pardus cum haedo cubabit, vitulusque et leo adultus ac saginatum (pecus) una erunt et puer parvus dux inter eos (futurus est.) Vacca et vrsa compascent earumque catuli una recubabunt, et leo sicut bos comedet stramen. Lactens oblectabitur in aspidis foramine et ad speluncam basilisci ablactatus manum extendet. Non adficient malo neque corrumpent in toto monte sanctitatis meae.* Idem vates diuinus eandem fere imaginem breuitur expressit Cap LXV, 25. *Lupus et agnus pascentur una et leo instar bouis comedet pabulum, serpenti autem pulvis erit cibo; nihil mali facient, nec (quemquam) perdent in toto monte sanctitatis meae.*

Quae si quis proprie vellet intelligere, aequè stulte ageret, ac si putaret, arietes Virgilii vere adeptos fuisse vellera rubra partim, partim crocea, omnes colores fuisse natiuos, non factitios, lanamque non amplius arte infectam diuersis coloribus. Parum sanior videtur eorum sententia, qui nouum fingentes hierozoicon per leonem, lupum, vrsam et pardum intelligunt tyrannos, qui sacros christianorum coetus vexarunt; christianae vero doctrinae sectatores et speciatim doctores ecclesiae per agnos, vitulos, boues et arietes; per serpentem denique puluerem comedentem satanam, a Christo victum, in orcum detrusum et aeternis vinctum compedibus. Nil nisi varias hic vide-

†) Metam. L. I. 98 — 100. sed tota Ouidii descriptio aetatis aureae iam a versu 89. incipit et ad versum 112. procurrat.



videmus felicissimi temporis adsimilationes. Felix enim procul dubio aeuum esset, in quo omnia, quae iam nocere solent hominibus, eorum commodis inferuissent. Quod speciatim ad serpentes attinet, eos humi repere notum est, quod Hebraei vocant *puluerem lambere*; sicut etiam hostis, qui humi iacet, puluerem lambere dicitur. In relatione ad serpentes puluerem comedere, idem est, quod de hominibus dicunt latini humum, aut arenam, nostri gramen mordere (*in das Gras beissen*). Hoc vero prophetae aliam quandam sententiam in mentem vocat. Serpentes plurimum lacte, ouis, animalium carne vescuntur; vnde fit, vt suum emittant venenum, quo animalia interficiant, quibus ad sui alimentum indigent. Sed aurea aetate serpentes puluerem comedent, adeoque nulli amplius nocebunt, interficient neminem.

Cum hac Iesaiiae descriptione conuenit illa Virgilii, quam Ecl. III. 21. 24. legimus

Ipsae lacte domum referent distenta capellae
 Vbera; nec magnos metuent armenta leones,
 Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores;
Occidet et serpens et fallax herba veneni
Occidet.

Idem Virgilius, postquam auream ante louis imperium adumbrauerat aetatem, quum coloni nondum subigerent arua, sed ipsa tellus sua sponte omnia liberius ferret, iam ad argenteum saeculum conuersus ille, Iupiter nempe, inquit, Georg. I. 129.

Ille malum virus serpentibus addidit atris,
 Praedarique lupos iussit.

Quibus si argenteam demum aetatem Iupiter adfecit malis, ideo quidem, ne qua in pascendo esset securitas et vt homines quaerent remedia, quibus veneno occurrerent; verbo

Vt varios vsus meditando extunderet artes
 Paullatim

Virg. Georg. I. 133.

sequitur, vt aurea nondum adfuerint aetate.

Ad nouam venio aurei saeculi descriptionem, qua Iesaias vltimum vaticiniorum suorum caput, sextum scilicet supra sexagesimum

num

mum, exorsus est: sic ait Iehoua: caelum ipsum solium meum est et terra scabellum pedum meorum. Quacnam esset domus, quam exstruere mihi possetis? et quanam locus esset quietis meae? Atqui omnia ista fecit manus mea et (per eam) sunt omnia ista; oraculum Iehouae! Sed in hunc inueor, in pauperem et contritum spiritu et trepidantem ob verbum meum. Ingulans bouem, ac si percutiens virum; qui mactat paruum pecudem, ac si quis cani collum frangeret †); offerens munus farreum (Mehlopfer) ac si sanguinem porci; adolens thus, ac si benedicens idolo.

Omnes, quibus propheta hic vtitur, dicendi formae non proprie de abolitione cultus leuitici delumtae videntur: sed diuinus vates fabulosis aurei saeculi coloribus simplicitatem cultus diuini pingit, qua'is vltimis futurus sit temporibus. Similem huic nostrae descriptionem habet Virgilius Georg. II 536 — 538.

Ante etiam sceptrum Dictaei regis, et ante
Impia quam caelis gens est epulata iuencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Ante sceptrum Dictaei regis i. e. sub rege Saturno, aurea aetate, ante regnum Iouis (qui in monte Cretae, Dicte, educatus fuerat) ante argenteum saeculum. *Et ante impia quam caelis gens est epulata iuencis;* i. e. antequam carne vescerentur mortales, sponte natis terrae frugibus contenti, nec parcerent ipsis bobus, rustici operis sociis, Cereris ministris. Attingit scilicet poeta morem veterum, qui abstinebant a caedendis bobus; immo reprehendit mortales, qui hoc ausi sint, quum impium eos vocat genus, quod naturae legem violauerit, bouem mactando. Nam ex innumeris fere veterum auctorum locis constat, nefas olim putasse homines, bouem laboris socium comesse. Vnum modo aut alterum laudare iuuabit. Ita Cicero de natura Deorum L. II. c. 63. "Quid de bobus loquar? quorum ipsa terga declarant, non esse se ad onus recipiendum figurata; ceruices autem natae ad iugum: tum vires humerorum et latitudines, ad aratra extrahenda. Quibus quum terrae subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, vt poetae loquuntur, vis numquam vlla adferebatur. "Ferreæ tum vero proles exorta repente est,

B

"Ausa-

†) et sacrificaret, quo profanasset altare.



“Aufaque funestum prima est fabricarier ensem
 “Et gustare manu victum, domitumque iuencum *).

“Tanta putabatur vtilitas percipi ex bobus, vt eorum visceribus vesci
 “scelus haberetur., — Ita narrant Valerius Maximus **) et Plinius ***)
 patrem familias die dicto a populo Romano damnatum, actumque in
 exsilium fuisse, quod bouem aratorem, humani laboris socium, oc-
 cidisset. Columella †) tantam fuisse bouis apud antiquos veneratio-
 nem scribit, vt tam capitale fuerit, bouem necasse, quam ciuem.
 Et Varro ††) “Bos, inquit, socius hominum in rustico opere et
 “Cereris minister. Ab hoc antiqui manus ita abstinere voluerunt, vt
 “capite sanxerint, si quis occidisset. Qua in re testis Attice, testis
 “Peloponnesus., Quod de Atheniensibus testatur quoque Aelianus †††),
 qui hoc etiam sancte seruatum apud ipsos Atticos esse ait, ne quis
 bouem aratorem, qui iugum trahat vel cum aratro, vel cum plaustro,
 mactet; quoniam ille etiam agricola sit et humano generi laborum
 socius. Conf. doctum pariter ac stultum librum Guilielmi Irhouii de
 palingenesia veterum s. metempsychosi sic dicta Pythagorica p. 122
 sqq. 136 sqq. Prodiit Amstel. 1733. Videtur scilicet Pythagoras
 migra-

*) Cicero scilicet hic expressit Arati locum εκ των Φαινομενων. 132.
 ΑΛΛ' οτε οη κακεινοι ετεθνασαν, οι δ' εγενοντο,
 Χαλκειη γενεη, πρωτερων ολωτεροι ανδρες,
 Οι πρωτοι κακοεργον εχαλκευσαντο μαχαιραν
 Εινοδιην, πρωτοι δε βων επασαντ' αροτηρων.

**) Dictor. factorumque memorabil. L. VIII. c. 1. de iudiciis publicis in-
 signibus. Damnat. 8.

**) Histor. natur. L. VIII. c. 45.

†) de re rustica L. VI. in fine praefat.

††) de re rust. L. II. 12.

†††) Var. histor. L. V. c. 14. και τχτο δε ην φυλαττομενον παρ αυτοις.
 βαν αροτην και υπο ζυγον πονησαντα συν αροτηρω, η και συν τη
 αμαξη, μηδε τχτον θυειν, οτι και ετος ειη αν γεωργος, και των
 εν ανθρωποις καματων κοινωις.

migrationem animarum, ab Aegyptiis acceptam, honesta de causa docuisse, ut nimirum carne abstineant homines. Adparet autem ex concione ab illo Crotone habita, quam refert Ovidius Metam. L. XV. 60 sqq. esum carnis improbasse Pythagoram, ut homines partim a luxu ad frugalitatem auocaret, partim in victu adsueteret ad iustitiam et mansuetudinem. His enim argumentis utitur, primo cum necessariis alimentis e terra natis homines abundant, pertinere usum carnis non ad necessitatem, sed ad luxum; deinde iniustum et immane videri, occidere ac deuorare animal, praesertim innocuum. *)

B 2

Et

- *) Parcite mortales dapibus temerare nefandis
 Corpora; sunt fruges, sunt deducunt ramos
 Pondere poma suo, tumidaeque in vitibus vuae.
 Sunt herbae dulces, sunt quae mitescere flamma
 Mollisque queant; nec vobis lacteus humor
 Eripitur, nec mella thymi redolentia flore.
 Prodigia diuitias, alimentaue mitia tellus
 Suggest, atque epulas sine caede et sanguine praebet.
 Carne ferae sedant ieiunia, nec tamen omnes;
 Quippe equus et pecudes armentaue gramine viuunt.
 At quibus ingenium est immansuetumque, ferumque
 Armeniae tigres, iracundique leones,
 Cumque lupis vrsi dapibus cum sanguine gaudent.

— — — — —
 — — — — —
*At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen
 Foetibus arboreis et quas humus educat herbis
 Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.*

Tunc et aues tutae mouere per aera pennas,
 Et lepus impavidus mediis errauit in aruis,
 Nec sua crudelitas piscem suspenderat hamo.
 Cuncta sine insidiis, nullamque timentia fraudem,
 Plenaque pacis erant. Postquam non utilis auctor
 Victibus inuidit (quisquis fuit ille Deorum)
 Corporeasque dapes auidam demersit in aluum,
 Fecit iter sceleri, primoque ex caede ferarum
 Iugaluisse putes maculatum sanguine ferrum.
 Nec satis est, quod tale nefas committitur; ipsos
*Inscripsere Deos sceleri, numenque supremum
 Caede laboriferi credunt gaudere iuuenti.*



Et hoc fuisse illius consilium testatur Iustinus, *) cuius haec sunt verba: "Crotonem venit Pythagoras, populumque in luxuriam
"lapsum auctoritate sua ad vltim frugalitatis reuocauit. Laudabat
"quotidie virtutem, et vitia luxuriae, casusque ciuitatum ea peste
"perditarum enumerabat; tantumque studium ad frugalitatem multi-
"tudinis prouocauit, vt aliquos ex his luxuriatos incredibile videre-
"tur. Matronarum quoque separatam a viris doctrinam et puero-
"rum a parentibus frequenter habuit. Docebat nunc hos pudicitiam
"et obsequia in viros; nunc illos modestiam et litterarum studium,
"Inter haec velut genetricem virtutum frugalitatem omnibus inge-
"rebat., Nefas quoque habetur a Pythagora, quod ex loco ex
Ouidio citato manifestum est, bouem immolare, aut alia victima
mactata placare diuinum numen; sicuti id Iesaias eo de quo propheta
loquitur tempore Deum improbare confirmat,

Iis, quae dicta sunt hactenus, vnicum addam Iesaias locum, quo insignem hominum felicitatem sub Messiae imperio coloribus ab aurea aetate mutuatis delineauit. Exstat scilicet Cap. LXV, 17 — 24.
Nam ecce ego creaturus sum, inquit Iehoua, caelum nouum et terram nouam; neque commemorabuntur haec priora neque in mentem venient. Sed gaudio in aeternum exultate in eo quod creo. Nam Hierosolymam creco exultationem et populum eius gaudium. Et exultante me ac gaudente
de

— — — — —
— — — — —
Quid meruere boues, animal sine fraude doloque,
Innocuum, simplex, natum tolerare dolores?
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit, curui demto modo ponderè aratri,
Ruricolam mactare suum; qui trita labore
Illa, quibus toties durum renouauerat aruum,
Tot dederat messes; percussit colla securi.

— — — — —
— — — — —
Audetis vesci genus o mortale? quod oro
Ne facite et monitis animos aduertite nostris;
Cumque bouum dabitur caesorum membra palato,
Mandere vos vestros scite et sentite colonos.

*) Lib. XX. 4.

de Hierosolyma non audietur in ea amplius vox fletus aut vox clamoris. Non erit illic lactens dierum *) aut senex, qui non impleat dies suos; nam puer natus centum annos morietur, et centum annos nato peccatori maledicetur. Aedificabunt domus et ipsi inhabitabunt eas; plantabunt vineas et comedent fructum earum. Non aedificabunt (domus, quas) alius inhabitabit, nec plantabunt, ut alius comedat; sed sicut dies arboris, populi mei (erunt) dies, et opus manuum suarum (vlu ac vestutate) deterent electi mei **). Non frustra laborabunt †) neque gignent ad festinationem; ††) nam semen benedictorum Iehouae erunt, et prognati eorum cum ipsis.

Quae statim ab initio de caelo nouo, nouaque terra dicuntur non intelligenda sunt de vita aeterna. Vtitur potius propheta in describenda felicitate saeculi Messiae, iisdem dicendi formulis, quibus celebrare solent antiqui aureum saeculum, in quo homines ad arborum vetustissimarum aetatem peruenturi sint, ita, ut si quis centum annos natus e vita discederet, id diuinum supplicium existimaturus esset. Nemo enim eorum, in quibus ordo et lex naturae seruatur, hac praemutata morte e vita demigrat, sed horreni peccatores ante tempus, centum modo annos nati, mori putantur. Ad quantamcumque igitur hi homines peruenerint aetatem, tandem aliquando tamen diem obibunt supremum. Quis autem id aeternae vitae conuenire dixerit? Num haec finem habebit vmquam? Num beati mortem patientur? Quare nouum caelum et terram nouam de insigni, quam patientur, mutatione exponamus, qua ita fient pulciora, ut nemo ea amplius pro iisdem agnoscere queat.

Nec quae de hominum longaeuitate apud Iesaiam habentur proprie accipiamus et cum Langio †††) et aliis opinemur, in regno quod

A 3

mille.

-
- *) Lactens dierum, *ein Saengling der Tage*, est lactens senex, *ein beibrter Saengling*. Ita vocantur, qui aureo saeculo in aetatis flore de vita decedunt. Ipsi illi, qui tum adolentes moriuntur, nobis sunt senes.
- ***) Tantam scilicet adepti senectutem, ut quas ipsi exstruxerunt domus, vetustate collapsas videant.
- †) Ut illi qui opere inchoato aut absoluto etiam et fastigio aedibus imposito e vita excedunt et aliis eas habitandas relinquunt.
- ††) i. e. ita, ut infantes recens nati moriantur, saltem paululum aetate progressi praemutata morte parentibus eripiantur.
- †††) Im prophetischen Licht und Recht.



millenarium vocant, re vera ad millesimum annum vitam producturos esse homines. Transtulisse potius videtur Iesaias, quae de aureo saeculo fabuloso commemorantur, ad Messiae tempora, quarum praedicat felicitatem. Ad longam autem hominum in aureo saeculo aetatem pertinent, quae supra ex quarta Virgilii Ecloga v. 15. citata sunt

Ille Deum vitam accipiet — — —

De paruo puero nascituro haec expono, cuius natales inciderunt in principium saeculi aurei, quo homines vitam Deorum viuere putabantur, i. e. per tantam annorum seriem, per tot saecula viuebant, vt numquam morituri, sed cum Diis vitam sempiternam acturi viderentur — Eo etiam refero, quae habet idem Virgilius de magno anno, magnisque mensibus Ecl. III 5.

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,
et paucis interiectis v. 12.

— — — et incipient magni procedere menses

Non Iulius et Augustus, sed menses magni anni, quem Platonicum dicebant. Nam vt magnus ipse annus dicitur, sic magni eius menses vocantur. Quem admodum igitur annus vertens duodecim tricenum, plus minus, dierum continet menses: sic et magnus annus duodecim dimetata et descripta habet mensium spatia, quae aliquot saecula complectuntur. Iosephus Scaliger*) per annum magnum systema MCCCCXXX annorum intelligit, constans duodecim mensibus, quorum quisque CXX annorum spatio absoluitur. Sed ex Ciceronis mente multo longius procedit annus magnus. Audiamus quae Scipio Africanus Maior dicit Minori **): “Quum praesertim apud eos
“ipfos, a quibus audiri nomen nostrum potest, nemo vnus anni
“memoriam consequi possit. Homines enim populariter annum tantummodo solis, id est, vnus astri reditu metiuntur; quum autem
“ad idem, vnde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemque totius anni descriptionem longis interuallis retulerint, tum ille
“vere vertens annus adpellari potest; in quo vix dicere audeo, quam
“multa saecula hominum teneantur. Namque, vt olim deficere sol
“ho-

*) Canonum isagogicorum L. III, p. 252.

***) Somn. Scip. c. 7.

“hominibus, exstinguique visus est, quum Romuli animus haec ipsa
 “in templa penetrauit: ita quandoque eadem parte sol, eodemque
 “tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad idem principium
 “stellisque reuocatis, expletum annum habeto; huius quidem anni
 “nondum vicesimam partem scito esse conuersam.” Tantum autem
 intercedit, inter Romuli mortem et hanc visionem, temporis interual-
 lum, vt, quum ne vicesima quidem anni pars tum expleta dicatur,
 magnus annus Ciceronis ratione minimum duodecim millia nostro-
 rum annorum, et mensis vnus mille annos amplius complectatur.
 Alii annum magnum siue Platonicum duplo maiorem quam ipse Cicero
 efficiunt, immo adhuc amplius illum extendunt. Continet scilli-
 cet ex computatione Cassini XXIIIIMDCCC. annos; Tychonis de Brahe
 XXVMDCCCXVI; Riccioli XXVMDCCCCXX; Ptolemaei XXXM; et ex
 caeterorum denique Aegyptiorum computo triginta sex annorum
 millia et quingentos.

Ex his omnibus, quae dixi, satis adparere arbitror, Iesaiam, laetiora
 post Messiam natum tempora pollicentem et magnam aliquam felicitatem futu-
 ram promittentem iisdem fere vti dicendi formulis, quas adhibere solent poetae,
 quos occidens peperit, quum de aurea, id est, felicissima aetate loquuntur. Or-
 bis scilicet terrarum profunda fruetur pace, nullae suscipientur lites, nulla
 bella *); herbae pestiferae non nocebunt amplius, ferae et immanes belluae
 mitescent, serpentes amittent venenum et parui pueri cum illis ceu canibus
 ludent; **) Dei cultus sine templis peragetur, pari modo vt antiquissimis tempo-
 ribus, quum caelum erat eius solium et terra scabellum pedum eius †). Quem-
 admodum antiqui armenta magnificiebant et oues, quod harum lac ipsis erat
 nutrimento, boues vero, quorum illis auxilio ad arandum opus erat, hominum
 focii et ministri habebantur, quare, ne ingrati viderentur, harum bestiarum
 carne vesci nefas putabant: ita felicissimo illo tempore, de quo Iesaias loqui-
 tur, bouum et ouium caedes vel immolandi causa suscepta homicidio et abo-
 minando idolorum cultui ac superstitioni par habebitur ††). Quod denique ad
 homines attinet, tantam adipiscentur aetatem, quantam fabula de aureo sae-
 culo illis solet tribuere. †††)

Haec imago plane similis est Virgilianae, quam in quarta ecloga et alibi
 expressit; in quibusdam tamen Iesaias descriptio magnificentior est Virgiliana,
 quippe quae pastoralis carminis fines excedere non debebat. Quemadmodum
 autem iniquus esset in Virgilium, qui perlecto eius carmine existimaret, poe-
 tam adeo stultum fuisse, vt re vera saeculo incunte futurum putauerit, vt
 leones

*) Ies. II, 5.

**) Ies. XI, 6-9. LXV, 25.

†) Ies. LXVI, 1.

††) Ies. LXVI, 3.

†††) Ies. LXV, 17-23.



leones caetera deuorare animalia desinant, bestiae ac ferae fiant cicures, serpentes amittant venenum et herbae pereant pestiferae; vt terra nulla cultura lacessita, nullo subacta vomere, spontaneos profundat fruges, vuaeque ex fentibus pendeant; vt ipsae denique in pratis oues croceo partim, partim purpureo vellera tingant colore: ita etiam iniuriam faciunt Iesaiæ, qui descriptionibus eius se in spem adduci patiuntur, futurum esse saeculum millenarium, in quo homines ad Methusalæ aetatem peruenturi sint; quae quidem opinio tamquam fanaticus error a theologis, quibus cor sapit, merito reicitur. Sub omnibus illis dicendi formulis nil nisi felicissimi saeculi imago ita repraesentatur animo, vt illud cernere oculis et praefens habere videamur.



Haec praefatus sum, vt solemnitatem indicerem, qua quatuor nostri Athenaci ciues in academiam discessuri vale illi dicent vltimum. Cathedram igitur adscendent

HERRMANNVS ANTONIVS BERNHARDVS GARLICHVS, Kniphusio ortus, et de notis ac signis differet, quibus prodit se subdolos et fallax animus.

ANTONIVS GERHARDVS VVESTING, ex pago Rotenkirchen oriundus, iniustos esse, qui non nisi antiquum laudant aeuum, queruntur de nostro, rationibus confirmabit.

DITERICVS ERNESTVS VWARDENBURG, Kniphusensis, fortiozem eum esse demonstrabit, qui se, quam qui fortissima vincit moenia.

GERHARDVS HOHN, Ouelgonnensis, argumentis comprobabit, maximam errorum partem, quibus ducuntur homines, a prima institutione deriuandam esse.

Quibus ad altiora tendentibus fausta quaeuis adprecabitur **CHRISTIANVS VWARDENBURG**, Hamelvardensis, et de magna gentium migratione verba faciet.

Quas orationes vt beneuole et indulgenter audire velint **SPLENDIDISSIMI DVICALIS CVRIAE PROCERES** et omnes, qui optimarum artium studiis, sigillatim vero nostris quoque conatibus et institutis fauent, qua par est obseruantia et humanitate rogo. Scrib. Oldenburgi a. d. XXVI. Martii CIOCCCLXXXVI.

